ANTIMONII
EJUSQUE
PRAEPARATORUM OFFICINALIUM
HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE IX. M. FEBRUARII A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

HEIMANNUS BRESSLER,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
H. HEUTZFELD, MED. ET CHIR. CAND.,
H. FRIEDEBERG, MED. ET CHIR. CAND.,
S. SIMSON, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PROOEMIUM.

Prima eruditionis meae in rebus medicis specimina in medio positurus, quum diu mecum volutassem, quidnam potissimum mihi disserendum proponerem, illud certe intellexi, prorsus a me aliena esse, quaecunque juvenili majorem sibi arrogarent rerum experientiam. — Quibus omissis ex reliquis mihi maxime arrisit ea disciplinae nostrae pars, quae ad historiam pertinens ab humeris etiamsi debilioribus non abhorreret. — Jam cum ex magna rerum medicarum copia, ager ille, ut ita dicam, paene incultus, qui ad medicaminum historiam spectat, plurima, de quibus quaererem, offerret, prae ceteris remedium a medicis quotidie adhibitum, antimonium dico, elegi, ejusque quasi fata enarranda proposui. — Sed opus aggressus statim intellexi, me laborem subiisse, cui paene insuperabiles inessent difficultates. — Nam cum monumenta literaria, quae ad illustrandam metalli nostri fortunam necessaria essent, paucis relictis, fere omnia aut temporum injuria aut hominum culpa interierint, profecto non sine labore fieri potest, ut, tenebris, quibus anti-

monii historia oculis nostris subtrahitur, remotis, omnia perspicua ac lucida nobis appareant. Antiquorum, quae hac de re egerunt, scriptorum perpauca tantum aetatem tulerunt, e quibus eruendum est, quod lucem afferat. — Quae quidem fragmenta huc illuc sparsa licet nonnulla de antimonio proferant, potiora tamen, quae in hac re collustranda sunt, in dubio relinquunt, nec omnino ad hanc rem expediendam multum conferre possunt. — Quae vero recentioris aevi auctores de re nostra disseruerunt in scriptis eorum ita dissipata sunt, ut vix inveniatur, qui insigniores tantum hujus generis libros, etsi ad manus essent, sine maxima temporum gratia perlegere possit. — Quibus difficultatibus deterritus fere in eo eram, ut omnem de hac re scribendi spem omneque consilium abjecissem, nisi cupido dissertatiunculam meam in eo genere eligendi, quod semper me maxime allicuerat, in proposito meo me confirmasset. — Itaque alacri animo hunc laborem suscepi, virium imbecillitatis optime conscius, ac perficere studui, quantum pro viribus ac tempore licuit. — Quo magis vero opusculum meum intueor, eo majore perfundor dolore animadvertens, quam procul a scopo, quem secutus sum, remotus manserim, ita ut lectoris benevoli (si unquam invenero) non magis justitia, quam indulgentia, mihi exoptanda sit. —

LIBRI,

QUIBUS IN ELABORANDO HOC OPUSCULO SUM USUS.

P. Dioscoridis pharmac. simpl. reique medicae libri VIII. *Jo. Ruëllio* interprete. Argentor. MDXXIX.

Scrib. Largi de compos. medicam. liber unus; interpr. *Jo. Ruellio.* MDXXVIII.

Triumphwagen *Antimonii*, *Fratris Basilii Valentini*, Benedictiner-Ordens, Allen, so den Grund suchen u. s. w., durch *Joh. Thölden.* Leipzig 1624.

Alexander von Suchten, von den grofsen Geheimnissen des *antimonii.* Durch *Joh. Thölden.* Gera 1613.

Guerneri Rolfincii diss. chymicae sex de tartaro, sulphure, margaritis etc. Jenae MDCLX.

G. F. C. Fuchs Versuch einer natürlichen Geschichte des Spiefsglases. Halle 1786.

F. A. C. Gren System der Pharmakologie. Halle 1798.

Repertorium für die Chemie als Wissenschaft und Kunst, von *Rudolph Brandes.* Zweiten Bandes erste Lieferung. Hannover 1827.

P. L. Geiger Handbuch der Pharmacie zum Gebrauch bei Vorlesungen. Heidelberg 1827.

Veterum scriptorum libros, qui in antimonio describendo versantur, perscrutantes in easdem incurrimus difficultates, in quas fere semper, qui in antiquitatis aedem, tenui luce collustratam, pedem inferunt. — Cum enim nihil efficiatur aut elaboretur, quin, quantumvis elegans et exquisitum, temporum serie paullatim decrescat, et corrumpatur, tandemque abolescat penitus, nihil mirum est, quod nullus fere liber ex eorum genere, qui ad rem nostram pertinent, inveniatur, qui non innumeris vitiis ac mendis laboret. Tantum abest, ut adire possimus ea veterum auctorum de stibio quaerentium monumenta, quae genuina atque ex ipsorum ingeniis prodita habere liceret, ut libros exscriptos totiesque recudendo corruptos consulere cogamur. — In quibus vero qualis omnium rerum status! Quantum obscuritatis! Qui squalor et sordes! — Quae cum ita sint, mirari profecto nequimus, quod de stibii per antiquissima tempora historia inquirentes, scopum exoptatum non attingimus. —

Affirmare solent, stibium nostrum jam tum temporis notum fuisse, cum Judaea a regibus gubernaretur; sed si loca illa in bibliis sacris (II. Reg. 9, 30. Jerem. 4, 30), quae tanquam firma hujus sententiae argumenta a multis auctoribus in medium proferuntur, adierimus, facile intelligemus, nihil posse hac sententia incertius aut inconstantius reperiri. — Occurrit enim in monumentis sacris nomen Graecum *ϛιμμι*, quod fucum significat, quo facies oblinatur; utrum vero hoc *ϛιμμι* idem fuerit, quod stibium nostrum, nec ne, non liquet, neque certiores de re nostra (si recte judicem) reddimur respi-

cientes ad morem hodiernis temporibus quoque apud mulieres orientales usitatum, quo facies oblinitur fuco *Cohel* nominato, qui stibium vere continet (*Savary* Briefe I. S. 103. *Spiker's* Journ. für Land- und Seereisen 1820., October-Heft); nihil enim est, quod hunc fucum talem esse probet, qualis fuerit ille veterum. —

Haud multo certiora et distinctiora de stibio indicia, quam in libris sacris, profanis continentur.— Narrant quidem nonnulli auctores de quodam metallo a medicis in usum vocato, quod stimmi, stibi, stibium appellant, sed num nomen illud eandem, quam nostris temporibus rem significet, etiam ex his non elucet. — Audiamus nonnullos eorum, ut fundamentum habeamus, quo nitentes certius judicare possimus. Dioscorides primus esse videtur, qui stimmi mentionem facit, cum Galeni opinio, tetragonum ab *Hippocrate* laudatum idem esse ac stimmi, vix placere possit. — Memorat Dioscorides, stibium esse metallum friabile, confractu crustosum, praeditum vi adstringente, obstruente, refrigerante, excrescentias in carne cohibente, ulcera ad cicatricem perducente, sordes et ulcera oculorum expurgante, sanguinem e cerebri membrana defluentem sistente, denique stibio eandem vim inesse ac plumbo usto.— Stibium a veteribus in medicinae usum fuisse inventum, sed corruptis moribus paullatim ad formae lenocinium concessisse, cum nativo decore non contentae mulieres ad fucum et amoris illecebras abuti eo inceperint. — Idem auctor nos docet, alia quoque veteribus ejusdem stibii fuisse nomina: *platyophthalmon*, quia dilatet oculos, eorumque fluctiones et lippitudines inhibeat; *gynaecion*, quia mulieribus observiat cilia tingentibus. *Scribonius Largus* in libro de compositione medicaminum iis, qui per plures dies epiphora vexati fuerint, cum perseveran-

tia tumoris, collyrium commendat, quod magnam partem stibio cocto constat, putatque ad ulcera oculorum sordida, crustasque habentia, quas ἐσχαρας vocant, item carbunculos, quos ἀνθρακας dicunt, bene agere. — Ad medendum iisdem morbis *Celsus* quoque nonnulla collyria commendat, stibium continentia, quae inventorum: *Euelpidis*, *Theodoti*, *Philetis* cet., nomina gerunt, quae quidem collyria ad omnia fere morborum oculariorum genera idonea fuisse dicuntur, exceptis iis, quae lenibus nutriantur. — *Plinius*, ut ipsius verbis utar, haec memorat: „In iisdem, quibus argentum verum, argenti metallis, invenitur, ut proprie dicamus, Spumae Lapis Candidae; stimmi appellant, alii stibium, alii alabastrum, alii larbason; duo ejus genera, mas et foemina; magis probant foeminam; horridior est mas scabriorque et minus ponderosus, minusque radians, et arenosior; foemina contra nitet, friabilis, fissurisque, non globis dehiscens. — Vis ejus, adstringere et refrigerare, principalis autem circa oculos, namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam oculos dilatet. — Sistit et sanguinem e cerebro defluentem, efficacior et contra recentia vulnera et contra veteres canum morsus inspersa farina." —

Haec omnia, quae ex antiquissimis temporibus nobis relicta sunt, stimmi indicia, cum comparaverimus cum stibii nostri indiciis, nequaquam firmiter et manifesto possumus dijudicare, num inter stimmi veterum et stibium nostrum discrimen sit nec ne. — Incerta enim sunt, ne dicam omnino ignota, quaecunque ex veterum arte chemica et pharmaceutica, tanquam argumenta essent depromenda, quo fit, ut experimentorum, quibus nostri stibium subjiciunt, cum illis, quibus veteres, comparatio nobis non concessa sit, qua quidem sola locuples judicium ori-

retur. — Neque minora obstant comparantibus vires, quas nos in stibio animadvertimus, cum illis, quas veteres in stimmi laudabant; haud enim ita sumus edocti de pathologia et therapia veterum, ut necesse esset iis, qui certum de hac re judicium ferre vellent. — Verumtamen, si manifestam pronuntiare sententiam cogerer, iis scriptoribus consentire mallem, qui stibium nostrum veteribus ignotum fuisse putant, quam qui contrarium. — Mirum enim est, quod auctores veteres vis dejectoriae, quam praestare scimus inter omnes stibii vires, nusquum mentionem faciunt, quam, credo, si stibium iis notum fuisset, veteres medici vix neglexissent, quippe qui tanta observandi sagacitate praediti erant. —

Sunt quidem, qui narrant, *Dioscoridem* vim dejectoriam stibio tribuisse. — Ille enim libro quarto de re medica de elaterio agens: „Si," inquit, „per „alvum purgare volueris, duplum salis misceto sti„biique, quantum satis sit, dilutasque aqua ervi ma„gnitudine pilulas dato". *Matthiolus* vero in codice mendum irrepsisse vult, pro *ςιμμεως* legendum censens *σιναπια*, sic enim Graeci codices; quare Dioscoridi stibii vim purgatoriam minus notam fuisse statuit. — Apud veteres autem usum fuisse, elaterio *το σιναπι* addere, ex multis aliis veterum auctorum scriptis, qui medicaminum compositionem huic simillimam proferunt, elucet. — Opponi vix potest, effectum illum tantum, qui internum stibii usum sequitur, veteres medicos, qui omnino metalla interne adhibere timuerint, latuisse, cum vis tam conspicua tamque insignis, qualis est vis stibii dejectoria, etsi fortuito, certe tamen aliquando in lucem prodiisset. — Nec vero minus dubios nos relinquunt notitiae supra memoratae, quae de stibii usu externo ad nos pervenerunt. — Apparet enim, vim adstrin-

gentem et exsiccantem clarissimam fuisse stimmi, quam vero in nostro stibio nullo modo animadvertere possumus. Veterum stimmi eandem vim habuisse videtur ac plumbum ustum; inter hocce vero metallum et nostrum stibium quantum intersit, nemo ignorat. Quibus omnibus recte perpensis vix erit, qui putet, stibium nostrum jam antiquissimis temporibus cognitum fuisse; quisque intelliget, si recte judico, illud nil nisi nomine cum veterum consentire. —

Primae de stibio, quod nos dicimus, notitiae occurrere videntur in scriptis Arabum, qui primi quasi fundamenta jecerunt artis chemicae. — Initio saeculi octavi jam verbis distinctioribus metalli nostri mentio facta est; *Dschafar* seu *Geber* (medicinae universalis conditor) jam de oxydo stibii notionem habuisse dicitur. — In scriptis ex tempore illo relictis primo verbum „antimonium" reperimus, cujus derivatio vocis adhuc desideratur. Derivant alii ab *ἀντι* et *μονος*, quia hoc metallum nunquam solum inveniatur; alii ab *ἀντιμενειν*, quod vel in igne perduret et constans permaneat, vel quod corpora firmet et contra morbosos insultus defendat. Vera vocis origo Arabica esse videtur, orta ex prima forma Athimad, Aitmad, Aitmatab, per corruptionem Antimodium, Achmodium, Atmodium, denique Antimonium, quod nomen in omnes fere linguas nunc receptum est. —

Vox nostra vernacula; „Spitzglas, Spiessglas, Spiessglanz, ex antimonii sulphurati nigri structura spiculata, fragilitate et splendore, derivanda. —

Quanquam jam inde ex tempore antimonium magis magisque innotescebat, et, qui in arte chemica versabantur, pleraque cum hocce metallo experimenta instituebant, tamen *Basilius Valentinus* fuit primus, qui medicorum animos ad hoc metallum

advertit, quod dehinc usque ad nostra tempora summum semper in medicina locum et auctoritatem obtinuit; quae quidem causa est, cur veram antimonii historiam a *Basilio* ordiri multi scriptores haud inepte voluerunt.

Basilius Valentinus, monachus ordinis Benedictini, florens saeculo decimo quarto post Chr. natum, libellum nobis tradidit „currus triumphalis antimonii" inscriptum, quo antimonium summis laudibus effert. „Virtutes ejus," dicit, „censentur tam magnae, „ut non possint mensurari, tam multae, ut non „possint numerari, tam copiosae, ut non possint „terminari, tam pretiosae, ut non possint aesti„mari. — Idem est summum venenum et summa „antidotus, omnium qualitatum capax et omnium „anni temporum continet proprietates, octavum „mundi miraculum. — In eo, in quo quanto plus „quis quaerit, tanto plus semper invenit, nec suffi„cit hominis vita ad perscrutanda et indaganda „omnia, quae in antimonio latent, arcana et my„steria. — In ipso enim sunt quatuor elementorum „qualitates; cum igne ardet, cum aëre fumat, cum „aqua fluit, cum terra solidat. — In eo reperiuntur „omnes colores, omnesque saporum deprehendun„tur differentiae; fixum est et volatile et securum „sanitatis gazophylacium." — Easdem, quas *Valentinus*, *Paracelsus* quoque pluribus locis antimonii laudes prae se fert, docens, totam antimonii praedestinationem esse, solem et hominem ad summum usque puritatis gradum evehere, reliqua omnia absumere instar ignis; idemque catharticum esse sine excrementorum rejectione. — „Ut antimonium," inquit, „finit aurum, sic eadem ratione finit corpus; „in illo est essentia, quae nihil impuri cum puro „confundi sinit. — Mundat seipsum una cum re„liquis, quae sunt immunda, quod, si nihil omnino

„sani adsit, immundum corpus in mundum trans-„format. — Purificat aurum solum, reliqua metalla „idem consumit, imo argentum suo pondere spo-„liat. — Homo similis est auro, auroque compara-„tur in omnibus, essentia et virtutibus, ideo puri-„ficat hominem et quidem ad maximam incolu-„mitatem et summum gradum; liberat eum ab „omnibus impuritatibus." — Matthiolus, qui saeculo decimo sexto vixit, haec elogia confirmat. — „Sunt „sexcentae, inquit, proprietates variae et praestantes, „ut praeparantes, expurgantes, vomitiones concitan-„tes, ut nunquam satis laudari queat hoc medica-„mentum." —

Hae laudes fanaticae omnes fere illius temporis medicos eo adduxerunt, ut per antimonium omnibus morbis mederi posse opinarentur. — In mania, melancholia, colicis, et omnibus fere gravioribus morbis remedium novum, quod tanquam certissimum praeconabantur, adhibuerunt, inde „omnia in omnibus" denominatum. — Eodem tempore orta quoque sunt nomina illa permira et ridicula, quae in scriptis legimus: „Primum ens et radix metallorum", quod communis omnium censebatur a nonnullis materia; „*Proteus*", quod ignis ope omnes formas excipiat; „lupus rapax", quia, ut hic rapacium animalium voracissimum sit, ita illud omnia metalla, imo ipsum aurum, absorbeat; et similia. —

Quod vero semper in rebus, quae effrenatis laudibus tolluntur, fieri solet, etiam hic accidit; immodicae laudes non prosunt, sed obsunt. — Usus enim sinister et intempestivus, quo medici elogiis effusis ducti antimonium in quoque morbo, rectis indicationibus omissis, adhibuerunt, intulit aegrotis magnam calamitatem, quae collegiorum medicorum praesides eo excitavit, ut contra antimonium severe et acriter invehendum esse putarent. —

Inprimis collegium medicorum Parisiense usum antimonii valde vituperavit, quo facto pugna inter artis medicae peritos orta est acerbissima, quae per centum et quod excurrit annos obtinuit. — *Ludovicus de Launay*, qui Rupellae medicinam exercuit, primus fuit, qui anno MDLX. a facultate medica Parisiensi propter antimonii abusum acerbissime vituperatus est. — Quae *Launay* sui excusandi causa in medium protulit, rejecit *Jacobus Grevinius*, qui antimonii eam formam, quae porrigeretur, nil nisi venenum esse obstinato animo contendit, et tandem collegium medicorum Parisiense ita excitavit, ut edictum ab iis promulgaretur: Stibium deleterium esse et inter ea simplicia, quae venenata qualitate polleant, adnumerandum, nec posse quavis praeparatione emendari, ut citra molestissimam noxam adsumatur. — In robustis tantum (si unquam) admittendum nauticis corporibus, contumacibusque chronicis morbis, qui a materia vehementer impacta pendeant, sic enim fieri posse aliquando, ut bene cedat opus et morbus expugnetur. Ceterum quia hoc raro fiat, et gravia plurimum ejus sequantur usum symptomata, hypercatharses, sudores frigidi, virium debilitas in operatione, post peractam purgationem ciborum fastidium, pulsus debilis, corporis totius gravitas, malus habitus, quae omnia malignitatem medicamenti satis probent, ab hoc medicamine omnino abstinere se satius putare. — Praeterea minus solidum esse ajunt, quod in commendationem hujus medicamenti afferat *Paracelsus*, purgare scilicet corpus universum ab omni humorum spurcitie, ut aurum a scoriis et heterogeneis partibus exspoliet. —

Decreto hocce edito omnes controversiae sedatae sunt. — Divulgato vero, anno MDCIII., Quercetani (*Josephi Duchesne*) „de priscorum philosopho-

rum verae medicinae materie" libro, quo antimonium justo magis celebratum erat, pugna jampridem composita denuo exorta est. *Riolanus* natu major „apologiam" scripsit, qua tam Quercetanum quam antimonium contumeliis est insectatus; quod vero scriptum a Quercetano multisque aliis medicis refutatum est; nunc pugna exarsit vehementior priore. — Emeticum e stibio compositum, quanquam interdictum, tamen tum temporis magis indies in usum vocabatur; loco stibii pulverati vero, vino stibiato utebantur. — Soli monachi, aegrotorum et egentium curatores, anno MDCII. Italia relicta Parisiis habitantes, antimonium cum saccharo conjunctum et in pulveris formam redactum ad medendum colicae pictonum adhibuerunt; occultarunt vero, ne denuo controversiae orirentur, hoc remedium, ficto nomine „Mochlique, Maraconi." — Mortuo *Riolano* natu majore disputationes omnes cessavere, cum Quercetanus ipsam facultatem medicam sibi reconciliasset. Anno vero MDCIX. *Paulmier* librum edidit „lapis philosophicus" inscriptum, quo, controversiarum praeteritarum quasi immemor antimonium iterum ut medicamen celebravit universale, quo facto facultas medica vehementissimis minis eum persecuta est, nisi sententiam promulgatam revocasset, ab ordine medicorum eum exclusum iri. — Tantum vero abfuit, ut *Paulmier* animos irritatos placaret, ut scripto opprobriis pleno vel magis eos excitaret, ita, ut collegium medicum eum ab ordine segregaret, scriptumque ejus irritum ac nefandum esse declararet. — Quamquam talis controversiarum eventus laudatores stibii maxime deterruit, tamen cum illo experimenta instituere non omiserunt. — Anno MDCXXXVIII. vinum stibiatum in primam editionem dispensatorii Parisiensis est receptum. Anno MDCXLVIII. controversias redintegravit *Guido Patinus* librum edendo,

qui hominum, quotquot erant, per stibium interfectorum indicem continuit; et idem *Joanni Chartier* causam intulit, qua vero ex decreto facultatis victus est. Divulgatis nunc pluribus scriptis in utramque partem disputantibus, tandem anno MDCLXVI. collegium medicum legem promulgavit, secundum quam usus antimonialium medicis concessus est, quod quidem *Blondel,* acerbissimus antimonii adversarius, reiterata provocatione impedire frustra est conatus.

Ex illo inde tempore antimonii usus inter medicos magis magisque increbuit. — Magna praeparatorum copia inventa est, quae, in dispensatoria medica recepta, partim tanquam inutilia mox respuebantur, partim ad nostra usque tempora multum valebant. — Quorum quidem historiam hocce libello enarrabimus, eum ordinem secuti, quo uniuscujusque quasi fata optime apparebunt.

Primum medicamen ex antimonio, de quo scriptores egisse legimus, fuit illud, quod natura paratum nobis offert, *Stibium sulphuratum nigrum.* — Jam supra monuimus, veteribus jamjam hoc nonnullos tribuere voluisse. — Certiora porro a *Basilio Valentino* accepimus, qui primus hoc praeparatum ad homines sanandos adhibuit. — Ipse *Basilius* opinionem, quae tum temporis de corporum elementis obtinebat, secutus, antimonio sulphrato nigro partes arsenicales et mercuriales cum certo quodam sulphuris genere conjunctas putavit. — „Sulphur (sic dixe„runt), quod antimonio crudo inest, principalem „habet virtutem et effectum; mercurii, auri et ar„genti est amicus; vinculum animi est et corporis; „cera est, quae succum incorruptum trunci servat; „multum discrepat a sulphure vulgari". — *Kunkel* demum docuit, sulphur, quod antimonio includitur, haud distinguendum esse a sulphure, quod alias invenimus. — *Meuder* eos refutavit, qui partes ar-

senicales antimonio inesse opinabantur. — *Boerhave*, *Geoffroy*, aliique, qui acerrime id egerunt, ut praeparati nostri naturam investigarent, ei consenserunt. — Novissimis vero temporibus evidenter docuit *Serullas*, antimonium crudum nunquam a partibus arsenicalibus esse liberum, in eandem sententiam concedunt *Vauquelin*, *Buchner*, *Klaproth* aliique, per quos de experimentis, quorum ope removendum sit ex antimonio crudo arsenicum, sumus edocti. — Cum jam prius in aurifabrorum officinis notissimus fuisset ille antimonii usus, quo ad aurum depurgandum adhibetur, ab Alchymistis, qui hominem cum auro compararent, stibium eodem modo, quo auri, sic hominis quoque remedium purgatorium constitutum est, et in omnibus fere morbis adhibitum, unde magnum hercle exortum est detrimentum. *Basilius Valentinus*, postquam sues scrophulosos antimonium crudum capiendo non tantum a morbo illo liberari, sed opimari etiam animadverterat, sodalibus suis monastericis, se eos quoque opimaturum esse ratus, eandem exhibuit escam, quo factum est, ut multi monachi diem obirent supremum, medicamen vero ipsum in magnam caderet omnium hominum contemtionem. — Nihilominus vero a medicis saeculi decimi quinti iterum in usum revocatum est, praesertim cum Paracelsus ejus usum in lepram, elephantiasin, vulnera, ulceraque summopere laudaret. — Saeculi sequentis medici cum autimonium crudum faustissimo eventu saepissime adhibuissent, accuratius quaerendo invenerunt, excitari ab eo systema lymphaticum et organa secretoria cutis, et hac de causa in impetiginibus, stagnationibus in vasis lymphaticis, et aliis ejusdem generis morbis saluberrimum esse ejus usum. — Jure quodam iis repugnarunt, qui in sulphure, quod magnam quidem sibi vindicat hujus effectus partem, omnem vim antimo-

nii

nii collocarent. — Enucleatis dein veris antimonii viribus saepissime usque ad nostra tempora a medicis in statibus morbosis supra memoratis, idque variis modis in usum vocatum est. — Laudati sunt: „pulvis purificans *Kämpfianus*” ex antimonio crudo, magnesia carbonica, saccharo et floribus cassiae compositus, tum „pulvis psoricus” ex iisdem medicaminibus, additis kali sulph. et rad. jalapae, constans. — *Kunkel* morsulos ex antim. crudo cum saccharo, amygdalis dulc., cass. cinnam., et cardam. minore conjunctos, quibus et nunc quoque utimur, commendavit. — *Fels*, *Musitanus* et *Pollinius* decocta nobis tradiderunt, quibus inest antimonium crudum, adhibenda in cachexiis et cacochymiis. — Cum vero stibium crudum in decocti aut infusi formam redactum, haud addito kali carbonico ineptissime adhibeatur, recentioris aevi medici ab hacce formula recesserunt. — Nostris temporibus stibii crudi pulvere et morsulis medici saepissime utuntur. —

Haud multo post illud tempus, quo antimonium crudum innotescere inceperat, experimenta permulta, huic metallo admota, animos medicorum ad illas stibii mutationes facile observandas adverterunt, quae in stibio crudo, aëre immisso, adusto, sive (ut illi dixerunt) calcinato, apparent. — Variis, quos adhibuerunt, calcinandi et torrendi modis praeparata in lucem prodierunt permulta, quae, in apparatum medicaminum recepta, magnam partem usque ad nostra tempora auctoritatem obtinuerunt. — Quorum quidem notissima eligamus, eorumque fata hic enarremus. —

Primum medicamen, ex calcinatione antimonii crudi conformatum, fuit: *Calx stibii grisea*, *antimonium ustum*, *cinis antimonii*. — Quamquam jam sexto p. Chr. saeculo *Aëtius* et octavo *Dschafar* hujus praeparati mentionem fecerunt, tamen *Basilius Valentinus* primus

accurate id delineavit; globulos, qui in torrendo metallo apparent, minui jussit. — *Kunkel* primus demonstravit, pondus antimonii crudi per calcinationem augeri. — Per longum tempus cinis antimonii oxydulum antimonii purum habebatur, donec investigationes accuratiores haud plane a sulphure liberum esse demonstrarunt. — Quas ei tribuit vires *Sylvius de le Boe*, alii non invenisse videntur, cum rarissime in usum vocarent. — Nunc ex apparatu medicaminum prorsus fere evanuit. —

Ex cineribus antimonii, justo ignis moderamine, fusis, *Bas. Valentinus* novum paravit medicamen, cui varia nomina tribuebantur. — Nomen „*vitri*" a forma, resonantia, splendore, fragilitate; „*Hyacinthini*" a colore pretiosi hujus lapidis aemulo; „*Hyacinthinae antimonii gemmae*, *et Magnesiae Saturni opalinae*", ab aemulatione opali gemmae est desumtum. — Nobis nunc est: „*oxydum stibii sulphuratum vitrificatum*, *stibiosum sulphure pauco vitrificatum*". Hujus vitri hyacinthini vires insignes in expurgandis vitiosis humoribus et chronicis morbis sanandis laudatae sunt a *Basilio Valentino* et iis, qui eum proxime sunt secuti. — *Matthiolus* meminit *Andreae Galli*, medici Tridentini, cui post ventriculi pulmonisque inflammationem et cordis tremorem suffocans catarrhus, majorem viribus prosternendis metum adferens, ex abundanti accesserat. — Hic post irritum multorum remediorum usum, vitri antimonii tribus granis, binis vomitionibus, ternisque dejectionibus, educta bilis copia non contemnenda, actutum salvus evasit. — Salutarem hujus medicamenti usum idem auctor multis aliis historiis illustrat. — *Libavius* statuit, si antimonium rite sit solutum et in vitrum conflatum, quod tunc e potentia remotiore evocata sit δυναμις, et in usu medico prodesse queat juxta ordinationem divinam, et sic in eo sit praedestinatio et potentia

naturalis in salutis humanae incrementum. A *Paracelsi* asseclis tanti vitrum antimonii aestimabatur, ut indignum probrosumque naturae esse putarent, si ad alvum vel vomitum in praeceps agendum usurparetur, multo sublimiore praedestinatione datum, nimirum, ut, sicut aurum spiritualiter, ita per universum corpus penetrando idem depuret, alienaque resolvat. Tot et tantae laudes illius aevi medicos eo impulerunt, ut morborum nulla habita ratione, ubique vitrum antimonii adhiberent; quid? quod medicus quidam hoc vitrum pro medicamine ex auro confecto vendidisse et magnum lucrum fecisse dicitur. Mox vero factum est, ut dolores et calamitates, quibus vitri usus aegrotos affecit, animos medicorum ad vires ejusdem nocivas et periculosas adverteret. — Jam Quercetanus, se vitri antimonii usum, utpote a veneno suo non satis nec ex arte repurgati, improbasse et rejecisse, narrat. — Tum alii vitro laudatam illam praedestinationem, quae *Basilii* asseclis placuerat, abjudicaverunt, neque recipere vitrum separationem puri ab impuro, nec sustinere digestionem debitam, sed convulsiones potius aliosque morbos excitare. — Quos periculosos effectus cum viderent medici, tandem edixerunt, vitrum antimonii sine correctione modo ad usum externum tuto posse adhiberi, et commendavere suppositoria composita ex vitro in glandis formam fuso, aut globulos ex vitro paratos, perforatos, filo alligatos et oleo unctos in anum intrudendos. — Ad internum vero usum necessariam putaverunt vitri correctionem, quam vario modo instituerunt. *Crollius*, „Vitrum antim.," inquit, „fusum Sole et Luna „in Aquario vel Piscibus existentibus teratur subtiliter, aliquoties affundendo acido acetico, et iterum „exsiccando in cineribus. — Sic habebis massam „albam, quam in pulverem teres." — Huic corri-

gentia addidit et cum myva cydoniorum redegit in consistentiam electuarii, de quo formavit pilulas in forma pisorum. — Quam vitri antimonii cum acido acetico correctionem *Hartmannus* non improbavit quidem, sed eam praetulit, quae fit per oleum vel spiritum vitrioli. Alii per infusionem, alii per insolationem, vitrum a malignitate liberare sunt conati. Cum vero calore solis vitrum mortificari ejusque spiritum plane evanescere intelligerent, mox hancce per insolationem corrigendi methodum rejecerunt. — Melius menda vitri tollere putaverunt, qui ceram ei admiscuerunt, quod medicamen „*vitrum antimonii ceratum*" nominatum est. Tradunt, medicum quendam in Germania superiore viventem hocce remedium, cujus compositio per sat longum tempus fuit occulta, invenisse et saepe fausto eventu in usum vocasse in dysenteria. — Mortuo inventore traditum est hoc arcanum medico cuidam Hibernico, qui regnante *Carolo* Secundo hoc remedio adhibendo magnam gloriam sibi paravit, postea vero, cum gravi morbo cruciaretur, *Guilielmo Steele*, verbi divini in Scotia ministro, remedium suum legavit. — Post mortem *Steelii*, *Young* arcanum, quod haereditate acceperat, Baroni *de Pringle* tradidit, qui tandem mysterium in lucem protulit. — Quo facto multi medici vitrum antimonii ceratum adhibuerunt, rati, per ceram periculosos, quos in vitri usu observaverant, effectus mitigari; non diu post adsumtum medicamentum jusculum pisorum leniter coctorum, ut operatio facilitetur, porrigi jusserunt. — Medici vero saeculi decimi octavi accuratius perscrutando, cum intellexissent, connubium cerae cum vitro antimonii nihil prodesse, hoc remedium ex apparatu medicaminum jure removerunt. —

Omnia vero, per quae medici vires periculosas vitri antimonii lenire conati erant, experimenta cum

irrita fuissent, nec quisquam vitrum incorrectum adhibere auderet, sensim sensimque ex formulis medicis hoc remedium evanuit. — Hodie a nonnullis tantum pharmacopolis ad praeparandum tartarum stibiatum in usum vocatur. —

Tertia antimonii praeparatio, calcinando effecta, fuit illa, qua prodit: *Crocus metallorum*, seu *stibium oxydulatum fuscum semivitrificatum*. *Basil. Valentinus* primus fuit, qui hujus medicaminis antimonialis mentionem fecit, ejusque praeparationem delineavit, quam postea *Martinus Rulandus* senior, cui croci nominis inventio tribuitur, emendavit. — Ortum videtur nomen a colore flosculorum croci subruforum. — „Metallorum crocus" appellabatur, quia omnes Hermetici antimonium quasi rerum principium et omnium metallorum radicem esse judicabant. — Jam antiquissimis temporibus ex aequalibus stibii sulphurati nigri et kali nitrici partibus per detonationem parabatur crocus, quam parandi methodum vel nostri temporis chemici sequuntur. — Quamquam a nonnullis vires croci alterantes et purgantes laudabantur, rarissime tamen in usum vocabatur; in enematibus tantum, nodulo linteo involutus, usurpari solebat. — In veterum dispensatoriis inveniuntur varia croci genera: *crocus antimonii medicinalis, crocus antimonii mitior, emeticum mite Boerhavii*, quae in morbis nonnunquam adhibebantur; nunc vero a medicis prorsus fere rejiciuntur. —

Aliud medicamen, quod *Bas. Valentinus* calcinatione stibii sulphurati nigri paravit, fuit illud, quod ipse *pulverem album* nominavit, quod vero a nobis: *antimonium diaphoreticum simplex, calcinatum album, stibium album*, seu *cerussa antimonii* vocatur. — Parari solebat a *Bas. Valentino* ejusque aequalibus per detonationem antimonii crudi cum kali nitrico, trinis vero nitri partibus admixtis; massam detonatam aqua

edulcabant. — Aqua post primam edulcationem nitro gravida, collecta, et mediocri evaporatione diminuta praebuit *egregiam aqvam frontalem anodynam;* eadem, justa evaporatione progressa, postquam in cella subterranea locata erat, in crystallos concrevit, quarum illae, quae primo formabantur, *sal polychreste antimoniale*, quae vero deinceps, *nitrum antimoniatum*, *anodynum minerale*, *lapis prunellae antimonialis* vocabantur; lixivium remanens evaporatione usque ad siccum sublatum, *nitrum antimoniatum per inspissationem* dicebatur. — Ab aliis, loco antimonii crudi, regulus antimonii cum nitro detonabatur, partesque antimoniales, quas aqua edulcans continuerat, per acidum praecipitatae, *materia perlata*, *magisterium antimonii diaphoretici*, *sulphur fixatum stibii* vocabantur, quae vero nomina nihil aliud nisi calcem antimonii significant. — Nostris temporibus ex duabus stibii sulphurati nigri et quinque kali nitrici partibus per detonationem paratur *ant. diaphoreticum non ablutum*, quod postea affunditur aquae fervidae decuplo, ut solvantur salia illi adhaerentia, quae acido sulphurico instillato separantur. —

Antimonium diaphoreticum resistere corruptioni, sanguinem mundificare, obstructiones viscerum tollere, inprimis vero sudorem pellere, alchymistae edixerunt. — *Paracelsi* discipuli putaverunt, nitrum anodynum, plurimis atomis primi entis, quod dicebat, impraegnatum sanguinem refrigerare potui injectum, in faucium inflammatione quacunque, etiam in angina commendandum esse, pellere urinam, serosos per sudorem ichoras discutere, simul leniter alvum laxare, quem in finem stimuli loco purgantibus esse admiscendum. — *Sylvius de le Boe* hoc remedium multum celebravit. — Saeculo decimo septimo medicus quidam *Routrou* medicamen arcanum (poudre fondant), ex antimonio diaphoretico con-

stans, vendidit, magnumque hac re lucrum fecit. — Sed jam multi illius aevi medici antimonii diaphoretici viribus diffidentes, *non ablutum* adhibendum esse putaverunt. — *Boerhave*, *Stahl*, et alii utramque rationem despexerunt, et non nisi aquam post edulcationem salibus gravidam ad usum medicum proposuerunt. — Nostri vero medici a chemicis edocti, salia, quae aqua ista continerentur, nil esse nisi kali nitricum et sulphuricum, antimonium diaphoreticum plane respuerunt. —

Ex permultis, quae ad antimonii calcinationem instituebantur, experimentis mox chemici, cum intelligerent, antimonium crudum per detonationem cum kali nitrico a sulphure liberari posse, antimonium purum, seu regulum antimonii parare didicerunt. Duplex fuit ratio apparatus, et simplex et composita. —

Simplicis jam Frater *Valentinus* in „curru triumphali" mentionem fecit, ejusque parandi viam accuratius delineavit. — Pulverem ex antim. sulphurati nigri, tartari crudi, et kali nitrici partibus aequalibus compositum in crucibulo candenti detonari, materiamque probe liquatam in scyphum pyramidalem aeneum oleo perunctum effundi, regulumque corona vel stella in basi insignitum a faecibus separari jussit. — *Paracelsus* et, qui eum sequebantur, alchymistae antimonio crudo per alia metalla sulphur detrahentes regulum paraverunt compositum, quem ex metallis, quae adhibuerant, *martialem*, *jovialem*, *lunarem* et sic porro nominaverunt. Stellam vel coronam, qua nonnunquam regulum in basi ornatum viderunt, tanti aestimarunt, ut ad eam in lucem provocandam vel coelum serenum vel crescentem lunam aliquid conferre putarent. —

Eadem fere ad regulum antimonii parandum methodo, qua *Paracelsi* discipuli, paucis tantum mu-

tatis, omnes fere usque ad nostra tempora chemici utebantur.

Veteres medicos regulum antimonii semper maximi aestimavisse, ex eorum scriptis evidenter elucet. — *Paracelsus:* „Dignitatem regiam," inquit, „habet in antimonio regulus, prae reliquo ejus cor„pore; est enim substantia magis metallica et fixa, „quam est reliquum ipsius corpus. — In medio an„timonii centro, regis instar, cortice denso stipatus „habitat, eique, fores Vulcano aperiente, in publi„cum prodeunti signum characteristicum regium, „i. e. corona seu diadema, adjunctum est." — *Angelus Sala* regulum *nucleum antimonii* appellandum censuit, cum haec pars a reliquo antimonii corpore ita differret, ut nucleus a cortice. — Regulum simplicem minus ad usum medicum, quam ad alia medicamina paranda, usurparunt. Multo majus vero momentum tribuerunt regulo composito, eique martiali, ob praestantiam *terra philosophica* nuncupato. Globulos ex hoc regulo fusos commendaverunt in iliaco et colico dolore ad viam faecibus parandam et implicationem intestinorum tollendam, tantique fecerunt, ut, si res una vice successerit, ex faecibus eos relegerent, purgatos servarent ac denuo iis uterentur, unde hi globuli *pilularum aeternarum* cognomen acceperunt. Deinde pocula ex hoc regulo pararunt, ex quibus aegroti, qui vomerent, vinum, pridie infusum, postridie biberent. —

Regulus, aliis metallis junctus, quem *electrum minus* vel *majus*, prout plura inerant aut pauciora metallorum genera, nominaverunt, multorum arcanorum a medicis quondam aestimatorum fuit materia. — Ex electro joviali *antihecticum Poterii* paraverunt, cujus vires singulares in phthisica extenuatione tollenda aut in aliis pulmonum, hepatis et uteri, affectibus laudarunt; ex electro lunari *antiquar-*

tanarium Riverii, quo febres intermittentes, inprimis quartanas, fugasse dicuntur, veteres medici. Quae vero medicamina, quotquot ex antimonio puro parata, sensim sensimque ex formulis medicorum evanuerunt, qui illud aliis antimonialibus postponendum esse facile intellexerunt. — Nostris temporibus per se haud amplius usurpatur, sed non nisi materia est aliorum medicamentorum.

Basilius Valentinus, postquam in antimonio, in quo investigando multum ac saepe versatus fuerat, nonnulla medicamina utilia inesse invenerat, ex connubio hujusce metalli cum aliis, alchymistarum more, utilissima paranda esse putavit. — Tali modo, multis experimentis institutis, postremo novum invenit medicamen ex destillatione antim. crudi cum hydrargyro sublimato, quod *oleum antimonii glaciale*, seu *butyrum antimonii*, nominavit. — Nomen accepit a consistentia, olei enim instar fluit, et ab externa forma, glaciei enim instar concrescere solet in medio recipientis. — Butyrum eadem de causa dictum est et *gummosus liquor*, instar butyri et gummi enim sensim colligitur et concrescit. — *Spuma duorum venenatorum draconum* appellatum ab ingredientibus duobus, draconum instar liquorem hunc evomentium cum bullis spumae cujusdam instar. — *Basilius* vero ipse cum intelligeret, methodum istam butyrum antimonii parandi periculosam esse et sumtuosam, aptiorem invenisse conatus experimentorum ope tandem eo pervenit, ut ex connubio ammonii muriatici vel salis culinaris cum antim. crudo medicamen optatum pararet. — Eandem fere methodum omnes post *Basilium* in hac re versati sequebantur, quanquam non magis, quam inventor ipse, rationes, quibus niteretur, intellexerunt. — Decimo sexto saeculo *Glauber*, strenue perscrutatus, rem accuratissime declaravit, quo postea factum est, ut chemici multas

methodos butyri antim. conficiendi in medium proferrent, quarum enumerandarum hic locus non est datus. — Nostris temporibus ex croco metallorum, natro muriatico connupto, acido sulphurico infuso, butyrum destillari solet. — Inde ab antiquissimis temporibus ad hodiernum usque diem medici butyro, tanquam medicamine corrosivo, utebantur; in staphylomatibus corneae et iridis sanandis, tanquam remedium specificum cum a veteribus tum a nostris medicis saepe laudabatur; alias vero eo utendi rationes prorsus alienas esse putabant. —

Majorem butyro antimonii auctoritatem medicaminum in apparatu, usurpaverunt remedia illa, quae ex eo conficiebantur. *Victor Algarotti*, medicus Veronensis, pulverem illum album, ex butyro antimonii, aqua diluto; sensim sensimque ad fundum praecipitatum, in morbis chronicis, febribus tertianis et quartanis et aliis affectibus conducere praedicavit. *Paracelsus* hunc pulverem, quem magni aestimavit, *mercurium vitae* nominavit, quia, si justo et consulto adhiberetur removendo humores vitiosos vitae hostes, vitam eum prolongare posse, est opinatus. — Nonnulli medici, *Paracelsum* secuti, eum idoneum duxerunt ad foetum pellendum, partumque faciliorem reddendum. — Rem bene succedere dixerunt, cum foetus recte positus sit, ad exitum pronus, neque robustus, ad perrumpenda claustra sufficiens; mater etiam deficiat in officio et expellendi conatu. *Sylvius de le Boe* „Pulvis albicans," inquit, „mercurius vitae vulgo dictus, praestantissimum ad humores vitiosos e corpore eliminandos remedium, per alvum et vomitum vim suam exercens, merito mercurius vitae dictus, quem quidem ignari cavillatores, imo calumniatores, vocarunt mercurium mortis, sed non audiendi sunt isti asini cet." *Glauber* vero, qui primus mercurium vitae mercurii plane expertem esse

docuit, eum suspectum reddidit. — Eum secuti sunt multi alii medici, qui mala observantes post mercurii vitae usum symptomata aeternae vitae mercurium eum nominaverunt ob funestos ejus effectus; cui criminationi vel potius malae ominationi etiam *Boerhave* favit, historias quasdam in medium adducens, quibus probaretur, mercurium vitae recte mereri mercurium mortis nominari. — Quos effectus periculosos cum et alii observassent medici, mercurium vitae per tincturam santali rubri e spiritu vini paratam emendari putaverunt, medicamen hoc modo confectum, *rosam mineralem* nominantes. Alii mercurii vitae vulgaris loco, illum ex electro lunari paratum proposuerunt, cujus vim catharticam accessione lunae mitigatam esse voluerunt. Sed nec hoc nec illud medici recentiores in usum vocari voluerunt, contra mercurium vitae ex apparatu medicaminum omnino deleverunt. — Alterum medicamentum ex butyro antimonii parari solitum *bezoardicum minerale* nominatum est. Bezoar, vox persica, notat lapidem virtute alexipharmaca praeditum, ab animali quodam desumtum. — Virtutes eaedem cum inessent huic medicamento, Bezoardici epitheto ornatum est. Distinxerunt autem inter Bezoardicum minerale simplex et compositum, quorum posterius a metallis, e quibus formabatur, lunare, solare cet., vocatum est. — Usus fuit amplus et creber in quibuscunque cordis infirmitatibus; in febribus pestilentibus et malignis; lunare inprimis cerebro vacillanti vigorem adflare creditum est. Nunc bezoardicum ex foro practico eliminatum est. —

In destillatione butyri antimonii corpus subrubrum in retortae collo, quod conspiciebatur, cinnabaris antimonii appellatum est; quod multum a cinnabari nativo differre cephalicasque et antiepilepticas vires possidere, veteres praedicaverunt medici.

Accuratius investigando nunc edocti sumus, nullo modo id esse distinguendum a cinnabari vulgari, cum et isti nihil insit antimonii; quae quidem causa fuit, cur medici nullam amplius hujus rei mentionem fecerint. —

Jam in eo sumus, ut medicamentorum ex antimonio, sulphure, et acido hydrothionico compositorum: „*sulphuris aurati* et *kermis mineralis*, quae inter medicos magna semper floruerunt auctoritate, fata enarremus. —

Basilius Valentinus primus sulphur auratum parasse videtur. — Antimonium crudum lixivio caustico concoqui, solutionem filtratam acido acetico decomponi, atque ex praecipitato rubro per extractionem cum aceto tincturam rubram parari jussit. — Quae vero, cum per occasionem tantum, de tinctura supra laudata agens, praeceperit, in posterum praetermissa sunt, gloriaque ex inventione sulphuris aurati redundans ad *Jo. Rud. Glauber* translata est, utqui ex antimonio sulphuris aurati quoddam genus parasse fertur. Nempe scorias reguli ant. simplicis solvi et per acetum aut tartarum praecipitari jussit. — Medici veteres et alchymistae egregiam sulphuri aurato operam dedicarunt, idque prae aliis indefesso studio egerunt, ut pararetur facili modo. — Plurimi eorum *Glauberi* rationem secuti sunt, nonnulli vero, inter quos *Quercetanus*, *Cardilucius*, aliique numerandi sunt, acidum sulphuricum ad praecipitandum sulphur auratum adhibuerunt. — Incerta et indefinita ratio, qua temporibus illis sulphur auratum parari solebat, id effecit, ut, medicis testibus, pervarii effectus ejus usum sequerentur. — Praecipitatorum colores post acidum admistum ita differre viderunt, ut praecipitatum alium ab initio praecipitationis prae se ferret colorem, alium postea. — Praecipitata priora fusco-rubra vel fusco-flava multo majorem quam

posteriora vim exercuerunt et vehementes saepe vomitus effecerunt. — Quod quidem ex mysticis alchymiae principiis eo effici voluerunt, quod antimonium crudum praeter sulphur vulgare, subtilius quoque et magis fixum, ei, quod auro contineretur, simile, possideret, quod in posteriores praesertim praecipitati partes transiret, sulphur vulgare vero cum partibus arsenicalibus antimonii conjunctum mala illa symptomata efficeret. — Jusserunt igitur praecipitationem acido admisto parandam, tribus temporis intervallis instituere atque ultimo praecipitato solo uti *(Sulphur auratum antimonii tertiae praecipitationis)*. — Praecipitata priora *fixum diaphoreticum* denominata sunt. — Postea demum disciplina chemica ad majorem perfectionis gradum progressa cum sulphuris antimonii naturam melius perspexissent, etiam hoc praeparatum emendatiori modo est compositum; verum tamen, haud scio an propter minorem ejus famam factum sit, ut nunquam tanto chemicorum studio sit investigatum ac elaboratum, quantum kermi contigit. — Quod genus acidi praecipitantis in hac re adhiberetur, mox nullius fere momenti esse putaverunt. — Plerique vero ammonium muriaticum, alumen, et ferrum sulphuricum praeceperunt, quorum unumquodque adhibitum diversi a ceteris effectus secuti sunt. — *Sulph. antim. mart. nigr.* nomine ornarunt id, quod ferri sulphurici ope praeparatum est. — Cum sulphuris antimonii crudi naturam accuratius perspexissent, praeparatum nostrum haud amplius sulphur antimonii auratum nominari voluerunt, sed, ad verum sulphur ant. aur. praeparandum, aurum aqua regia solutum hepate antimonii praecipitari praeceperunt. —

Ceterum sulphur auratum in febribus remittentibus, intermittentibus, doloribus rheumaticis et arthriticis, impetiginibus et omnibus fere systematis

lymphatici morbis, omnibus temporibus a medicis usurpatum est, tantaque semper auctoritate floruit, ut in omnia fere dispensatoria receptum sit. —

Sulphuris aurati commodum medicos mox commovit, ut variis modis conjunctum adhiberent. — Quorum quidem modorum notissimus est: *pulvis Plumeri* seu *diaphoreticum Kleinii*, qui, e kalomel et sulphure aurato compositus, in systematis lymphatici morbis commode adhibitus est. — Saeculo duodevigesimo *J. L. Jacobi*, Vinariensis, primus *saponem stibiatum* seu *sulph. aur. ant. saponatum*, lixivium, kerme minerali separato, valde concentratum, per oleum papaveris aut amygdalarum usque ad consistentiam saponis inspissans, paravit. — Kaempfius saponem stibiatum cum gummi ammoniaco conjungere docuit, quod quidem valde laudavit compositum. — Saponem stibiatum in tinctura kalina et aqua destillata solvendo idem Jacobi *liquorem saponis stibiati*, *tincturam antimonii Jacobi*, ab ipso inventore denominatum, parare statuit. — Quae quidem medicamina et olim et hodie in morbis chronicis, ad systema reproductionis spectantibus, adhibebantur.

Haud multo post investigatum sulphur auratum medici multis ac variis, quae instituerant, experimentis ducti ad kermes animum adverterunt. — *Glauber* primus kermes minerale parasse videtur. — Tam obscuro autem et contorto dicendi genere utitur, ut intellectu difficillimum sit. — *Glauberi* quidam discipulus, pharmacopola Germanicus, cujus vero nomen ignotum est, hujus medicaminis praeparationem cum *Chastannoy*, subcenturione *Landoviensi*, communicasse, isque *la Ligerie*, chirurgo Gallico, mysterium aperuisse traditur, qui tamen posterior in hoc medicamine adhibendo parum perfecit. A. MDCCXIII. parandi rationem *Simoni* aperuit, monasterii *Carthusiani* Parisiensis pharmacopolae, qui in Dominico, hujus monasterii monacho quodam, morbo letali laborante, *la Ligerie* auctore et auspiciis Doctoris *Thuilier* hujus medicaminis periculum fecit. Aegrotus, postquam paucis dosibus acceptis vehementer evomuerat, velut prodigio sanatus est, quod quidem nescio annon tartarus stibiatus eodem modo effecturus fuisset. Hoc factum est, ut kermis

usus mox latissime pateret, pulveris Carthusiani (poudre des Chartreux) nomine dehinc condecorati. Licet mox intellectum sit, hoc medicamen sulphuri aurato simile esse, et in pluribus pharmacopoliis rerum experientia illud parare edocuerit, tamen usque ad hoc tempus, quo *Simon* et *la Ligerie* ipsorum mysterium divulgaverunt, praeparata ab ipsis composita praestare putarunt, donec rex per ducem ab *Aureliano* mysterium emendum et in salutem publicam promulgandum curavit. *Lemery* de praeparationis a *Simone* institutae integritate testificatus est. — *La Ligerie* medicamini nomen tribuit tumidum *aurificum minerale* seu *alkermes*. Post *Lemery* id praecipue studuerunt, ut kermes parandi rationem emendarent, id, quod pluribus modis et propositum est et institutum. — At recentiori demum tempore contigit, ut studiis *Proustii*, *Thenardi*, *Trommsdorfii*, *Buchneri* aliorumque kermis natura diligentius collustraretur. — Princeps ejus adhibendi semper locus fuit in affectibus pectoris et impetiginibus. — Externe quoque ad pus ulcerum corrigendum adhibitum est. —

Exceptis his antimonii cum sulphure et acido hydrothionico connubiis, tertium quoque inventum est, cujus gloria late manavit: *Calcaria sulphurato-stibiata*. Quod connubium ut medicamen adhibitum multorum oculis obversatum est. Ab *Hoffmanno Moguntiano*, saeculo decimo octavo, primum compositum est, qui magnas ei vires medicatrices tribuit. Modo ipse hoc medicamen paravit, modo a *Molitore*, chemico quodam, parandum curavit, et drachmam unam hujus remedii floreno vendidit. Postea cum *calx antimonii cum sulphure Hoffmanni* denominatum, *Hufelandio* laudante, magis innotesceret, *Westrumb*, *Buchner*, aliique, qua ratione parandum sit, docuerunt. Nunc praesertim ad balnea antimonialia adhibetur. —

Jam de antimonii cum calce connubio agentes medicaminis cujusdam mentio quoque facienda est, quod idem ex calce et antimonio compositum antea summa laude florebat, illius nempe, quod *James-Pulver* denominatur. — Inventor nomen *pulveris antifebrilis* ei tribuit, atque in eo adhibendo tam felici successu gavisus est, ut ope hujus medicaminis ma-

gnam famam adipisceretur. — Prosperum illum, quo gaudebat, successum simul usui corticis Chinae deberi probabile est, cujus praecepit tantam copiam, quantampiam venter ferre posset, postquam antea per praeparata antimonialia, cui mercurialia quaedam conjungere solebat, primas vias purgaverat. — Praeceptum verum valde occultatum, ejusque loco aliud promulgatum est; plura utique praecepta sunt ad praeparandum medicamen illi simillimum, Quod hunc in finem Doctor *Pearson* proposuit, mixtum est ex oxydo antimonii et calcaria phosphorica; cui pulveri plura erant nomina: *pulvis Jacobi febrifugus, antimonium calcareo-phosphoratum, pulvis antimonialis compositus.* — Melius, quam antimonium diaphoreticum, obstructiones alvi et morbos ex transspiratione suppressa exortos tollere dicitur: quid? quod in dysuria interdum et febri flava feliciter adhibitum est. — *Niccoli*, medicus Italicus, unguentum commendavit, ex scrupulo integro hujus pulveris, uncia una mercurii et drachmis duabus adipis suilli, in impetiginibus chronicis, doloribus arthriticis et osteocopis. —

Restat, ut antimonii cum acido tartarico connubii mentionem faciamus, cum de ceteris praeparatis officinalibus ex antimonio compositis jam egerimus. — Quanquam jam diu cognitum erat, vitrum aut cineres aut oxydulum antimonii cum acido tartarico solutionem formare, quae vaporando sal porrigat, propria tamen connubii acidi tartarici cum antimonio natura medicos fugiebat et quodammodo hodie quoque fugit. — Tartarus stibiatus unicum fere connubium est, quod accuratius nobis est cognitum. — Quod quidem connubium primum *ab Hadriano a Mynsicht*, Suerinensi, ducis Megalopolitani medico, praeparatum et ad sanandum adhibitum est. — Propter certum effectum, hoc medicamen emeticum omnibus aliis praeparatis antimonialibus, eundem in finem adhibitis, praepositum est. — Ad illud parandum permulta experimenta instituta sunt, quorum tamen effectus plus minusve non satisfecerunt. Recentioribus demum temporibus meliores methodi sunt inventae. — Distinxerunt antea tartarum stibiatum crystallisatum ab

ab eo, qui inspissatione parabatur; qui vero posterior recentiore tempore ex medicaminum ordine, optimo jure est remotus. Jam a veteribus medicis tartarus emeticus medicamen habitum est, tunicas mucosas ventriculi et intestinorum, pulmonesque excitans, ad resorptionem augendam summo commodo adhibendum. — Quam ob rem saepissime in usum vocatus est in morbis psychicis et chronicis systematis reproductivi, praesertim ad vomitum faciendum, radice ipec. modo addita, modo omissa. Enematibus, emplastris et unguentis parandis recentiori praecipue tempore inservit. — Magna eodem tempore auctoritate viguit tartari stibiati in vino solutio, in *vini antimoniati Huxhami* loco posita. — *Huxham* a more usitato, vinum stibiatum ita parandi, ut poculis ex antimonio fusis vinum per aliquod tempus infunderetur, hoc modo secesserat, ut vitri antimonii partem unam vini Malacensis partibus viginti quatuor immitteret, et hanc solutionem decem vel duodecim diebus praeterlapsis filtraret. — Vinorum autem diversa ratio, qua acidi tartarici modo majorem modo minorem partem contineant, diversum temporis spatium, quod ad digestionem perficiendam consumebatur, incertum hujus medicaminis usum effecerint necesse est. — Qua de causa recentiori tempore huic medicamini incerto aliud jure praetulerunt, quo tartari stibiati granum unum in uncia una vini solvitur. Ad sanandos infantum morbos praecipue nunc laudatur.

VITA.

Ego *Heimannus Breſsler*, fidei mosaicae addictus, Hirschbergae, Silesiae inferioris oppido, natus sum mense Decembr. a. MDCCCV., patre *B. M. Breſsler* et matre *Ernestina* e gente *Liepmanniana*, quam praematura morte mihi ereptam lugeo, semperque lugebo. Primis litterarum rudimentis domi imbutus, annum decimum agens, gymnasium, quod in patria floret, adii ibique per octo annos studia humaniora exercui. — Studiis gymnasialibus absolutis, testimonio maturitatis instructus, cum arti salutari vitam dicare constituissem, almam Viadrinam aggressus, pridie Id. Oct. a. MDCCCXXIII. a Professore summe venerabili *Middeldorpf*, t. t. Rectore magnifico, civium academicorum, atque ab Illustr. *Remer*, t. t. medicorum ordinis decano spectabili, medicinae studiosorum numero sum adscriptus. — In alma hac Musarum sede hisce scholis interfui. —

Illustr. *Wachler* de historia Alexandri Magni.

Illustr. *Brandes* de physice.

Illustr. *Steffens* de physice, anthropologia et hodegetice.

Illustr. *Huenefeld* de anthropochemia.

Illustr. *Klose* de encyclopaedia disciplinarum medicarum.

Illustr. *Fischer* de chemia theoret. et pract., pharmaceut., et corporum organicorum.

Illustr. *Henschel* de historia medicinae, plantarum physiologia, et pharmacologia.

Illustr. *Purkinje* de physiologia corporis humani et pathologia generali.

Illustr. *Treviranus* de botanices elementis et plantarum physiologia.

Illustr. *Otto* de osteologia et syndesmologia, de anatomia corp. hum. theoretica et practica, comparata et pathologica.

Illustr. *Benedict* de chirurgia generali et speciali.

Illustr. *Wendt* de materia medica, toxicologia, therapia morborum acutorum et chronicorum, atque de morbis syphiliticis.

Illustr. *Remer* de therapia generali et de formulis medicis rite concinnandis; idem vir celeb. per semestre dux mihi fuit humanissimus ad aegrotorum lectulos.

A. MDCCCXXVII Berolinum petii et die XIV. mens. Apr. ab Illustr. *Lichtenstein*, t. t. fasces tenente, studiosorum numero adscriptus, et apud Illustr. *Rudolphi*, h. t. medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem, nomen sum professus. — In hac alma Musarum sede has audivi lectiones.

Illustr. *Casper* de methodo, formulas medicas rite concinnandi. —

Illustr. *de Graefe* de akiurgia.

Illustr. *de Siebold* de arte obstetricia; eodem in exercitationibus ad Phantomen machinam sum usus. — Nec defui institutionibus, quas viri Illustr. *Rust* et *de Siebold* ad ipsos lectos aegrotantium habere solent.

Quibus omnibus viris illustrissimis, amplissimis, experientissimis, praeceptoribus meis benevolentissimis, palam summas, quas habeo, nunc gratias ago; nulla dies horum virorum maxime colendorum memoriam mihi exstinguere poterit.

Jam vero cursu academico rite finito, tentamine philosophico et medico examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi honores in medicina et chirurgia in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Seri evacuationem in morbis hydropicis rarissime primariam esse indicationem.

II.

In curatione hydroceles incisio omnibus aliis methodis praeferenda est.

III.

Febris intermittens simplex est morbus nervorum.

IV.

Medicamenta a, b, c, simul hausta non agunt ratione $a + b + c$, sed tanquam x.

V.

Mortis nullum certum signum, nisi putredo.

VI.

Compressio tumoris aneurysmatici prorsus rejicienda.